



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCLXI. Der Bischof Dietrich vereinigt die Einkünfte eines Altars in der St. Katharinenkirche der Neustadt Brandenburg mit der Pfarrstelle an derselben, am 29. Oct. 1358.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

domini Johannis episcopi Camynensis subscripsi et eam signo meo solito signavi in majus testimonium premisorum.

Nach dem Originale.

CCLXI. Der Bischof Dietrich vereinigt die Einkünfte eines Altars in der St. Katharinenkirche der Neustadt Brandenburg mit der Pfarrstelle an derselben, am 29. Oct. 1358.

Ad perpetuam infra scriptorum memoriam. Nos Thydericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus universis et singulis presentibus et futuris volumus esse notum, quod cum beneficiorum ecclesiasticorum unio ac eorundem alterius alteri subjectio nobis ex jure in nostra competat dyocesi, pensatis causis pluribus, precipue autem, quod prime ipsius, videlicet quondam Nicolai de Lapidea Domo, civis nove civitatis Brandenburgensis bone memorie, foundationis et dotationis hec fuit intentio, mens devota et expressa voluntas, et quod redditus ecclesie nove civitatis Brandenburgensis jam dicte, in quibus ipsa non modicum est minuta, plebano suo ad congruam sustentationem non sufficiant, ad humilem et justam discreti viri, domini Alberti Thume, predicte ecclesie nunc plebani, petitionem nec non ad instantem honorabilium virorum, dominorum Thiderici prepositi et Henrici, prioris totiusque capituli ecclesie nove Brandenburgensis requisitionem plenumque consensum altare sancti Nicolai confessoris, in dicta ecclesia situm, jure patronatus et provisione ipsius altaris ad ipsius ecclesie plebanum utique pertinenti, vacans nunc per obitum Magistri Pauli de Storcow, bone memorie, a predicto Nicolao de Lapidea Domo olim sub nomine unius perpetue misse septem talentis cum quatuor solidis Brandenburgensis denariorum cum duobus et dimidio choris falis annuorum reddituum, in thelonio dicte nove civitatis Brandenburg. sitorum et annue tollendorum per magnificos et illustres principes dominos, primo dominum Rudolphum, ducem Saxonie, tunc marchie Brandenburg. tutorem, tandemque dominum Lodewicum, ejusdem marchie Brandenburg. marchionem, solempniter eidem altari appropriatorum et datorum dotatum et fundatum nec non olim per venerabilem patrem, dominum Johannem, bone memorie, predecessorem nostrum autorizatum, approbatum et confirmatum, sicut in litteris dominorum episcopi et principum predictorum evidenter patet, vñ super hoc peritorum consilio, ex causis supra pensatis ipsi ecclesie parrochiali nove civitatis Brandenburg. predicte cum redditibus supra dictis incorporavimus, conjunximus et univimus ac auctoritate ordinaria, qua fungimur, per hec scripta incorporamus, conjungimus et unimus, ita quod hujus ecclesie et altaris ammodo et in perpetuum sit unus et idem rector et plebanus, et quod plebanus, quicumque pro tempore est et erit, redditibus altaris predicti poterit et debeat uti et gaudere, sicut rector, salvis divinis officiis dicto altari annexis, per plebanum predictum vel ejus capellanum sine aliqua fraudatione vel subtractione faciendum et agendum. In quorum omnium testimonium nostrum et predicti capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum Seyefer, anno domini MCCCLVIII, in crastino beatorum apostolorum Simonis et Jude.

Nach dem Originale.